



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus LXI. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

FASCICULUS LXI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. I. lib. Job, in quo describitur Laus Jobi, Proles & divitiæ, afflictio per Sathan, & invicta viri hujus Patientia.

Notet benevolus Lector: tam ex hoc, quam ex sequentibus libris Prophetarum tantum ea capita servire nostro Proposito, quæ historica sunt: cæteris ergo non attactis, occupamur in istis foliis.

Considera: **Q**UOD licet Job maximis floruerit divitiis, liberorum N. 393, copiâ, famulorum turbâ, & inhabitaret terram, à pessimis Idololâtris corruptam: eò tamen Sanctitatis pervenerit: ut S. Scriptura illum laudibus efferat nonnisi summis, dicens vers. I. citat cap. *Et erat vir ille simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo.* Concludes inde: nec statum sæulare, nec locum, nec profana Negotia obstare virtutis exercitio & sanctitati. Regius Propheta licet ad audiendas subditorum causas sederet sæpè pro Tribunali, & hostium audaciam fracturus staret frequens in acie inter clangores Tubarum atque armorum strepitus; virum tamen egit Deo devotissimum, & quis nescit: plurimos vixisse Sanctos in perverissima Neronis Aula? scribit siquidem Apostolus Philipp. 4. *Salutant vos omnes Sancti, maxime qui de Domo Cesaris sunt.* Quis nescit: Sebastianum in exercitu Diocletiani primario functum officio, fidelissimum egisse servum Dei? S. Francisca Romana Regimen domus suæ, & totius Familiæ curam summæ pietati conjunxit, & S. Philippus Neri, etsi sexaginta annorum spatio in populosissima moraretur Roma, nunquam à Principum & Cardinalium accessu liber, supremum tamen perfectionis apicem attigit, gloriam in conversatione gentis suæ adeptus. Est quidem Principium apud Ascetas celebre: Cellam à cælo denominatam, locum esse, ad exercendam in virtute animam aptissimum, & hominem, quò remotius à negotiis recesserit profa-

profanis, eò propinquiorem fieri Deo & rebus divinis. Verùm non tam generalis regulæ rigorem habet isthoc Principium, ut non patiatur aliquam exceptionem. Rem declarat S. Greg. M. qui, ut animaret Christianos, ad sæcularem statum vocatos, eos ita alloquitur: *sapè mutare locum conamur, & secretum vita remotioris eligere nescientes: quia si desit Spiritus non adjuvat locus.* Quis enim Sanctior locus Cœlò existit? & tamen novimus, Angelos in eo turpissimè lapsos esse. Fuerit Paradisus terrestris locus Innocentiæ & Justitiæ Originalis, fuerint Protoparentes Adam & Eva ibidem positi ad solius virtutis exercitium, enormiter tamen corrüere, à serpente decepti. Fuerit Collegium Apostolicum Perfectionis Christianæ Schola sanctificata ipsius Christi præsentia, Judam tamen habuit proditorem. Ipse etiam Loth non paucò tempore sobrius & continens vixerat Sodomis, in solitudine verò locum dedit ebrietati & incontinentiæ. Quare ò Christiane! in mundo vivens, & sæcularibûs negotiis occupatus, noli impietatis tuæ culpam, aut loco aut negotiis imputare, potuere tantum Sanctitatis fastigium assequi in mundo, & inter mundana versati homines, quos paulò ante, aliis silentio involutisretuli: cur non & tu, si conatus non desit?

Cæterum dum in hoc capite legis: Sanctissimum Job tot claudibûs & jacturis permittente Deò venatum exclamasse: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est &c.* dum inquam hæc verba legis, summæ patientiæ testes, cogita: hominem sæcularem tunc sanctè victurum, quando mente suâ tam parùm rebus terrenis affigitur, ut perditis illis in paria cum Jobo erumpat verba, corde & ore prolata: talis enim sic utitur mundò, quasi non utatur, agens cœlestem in terris vitam, vicinior Angelis, quàm hominibus.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 2. lib. Job, in quo describitur sevitia Demonis in Jobi corpus exercita, dum ulcere pessimo eum percussit.

N. 394. *Considera:* **Q**UOD Diabolus Jobi ruinam totò pectore anhelans, dum corpori violentas manus caperit inferre, ei plus profuerit, quam nocuerit: nam illud debilitando, mentem corroboravit. Apostolus incestuosum hominem sanaturus 1. Corinth. 5. ait;

ait: *judicavi tradere hujusmodi hominem Sathana in interitum carnis, ut spiritus saluus fiat.* Eodem modò curari voluit Hymenæum & Alexandrum 1. Timoth. 1. quos Sathanae potestati ad tempus cruciandos dedit, ut inde dilcant, blasphemias frænare linguas. Cogitur, ait S. Ambros. in Psal. 43. *Sanctos Domini ad suum damnum tentare: dum enim tentat, meliores facit; ut qui tentatur, possit alios instruere, qui sibi ipsi invalidus videbatur.* S. Chrysof. Dæmones torquendis hominum corporibus occupatos comparat venenatæ viperæ, quam artifices Medici ita attemperare sciunt, ut ex veneno theriacum, ex toxico antidotum eliciant. Ergò Christiane Lector, etsi multa in corpore tuo patiens tibi imagineris: traditum esse Dæmoni facultatem, ut pro libitu suo tecum agat cùm cum altero Job, planè non est divinæ in te iræ, sed potius amoris indicium; sic enim Chyrurgum Diabolus agere permittitur, qui urat, fecerit, tollatque noxium animæ tuæ. Tunc primùm timendus est aggressor iste, quando corpore in continua sanitate relicto, insidias molitur animæ. Hinc cùm Christus Dominus Lucæ 10. cerneret discipulos suos nonnihil superbire, quòd Dæmones habere viderentur suis linguis subditos, ut ociùs eorum saluti consuleret, intexuit: *videbam Sathanam tanquam fulgur de Cælo cadentem.* Dicturus per hoc: *o Charissimi: magnum vobis imminet à Dæmone damnum, quia illum vidi instar fulguris è Cælo cadere. Verùm Magister optimè edisseras: cur discipuli plus damni timeant à Diabolo, sub specie fulguris de Cælo cadente, quàm si cecidisset abinde sub specie teli, hastæ, aut Saxæ molis? ad solvendum hoc dubium nôsse oportet: eam esse fulguris naturam testibùs Philosophis, ut in fortiora fortius operans consueverit: illæsa quandoque Vaginâ gladium consumere, in ea reconditum, confectum ex calibe etiam durissima. Dum ergò fulguri hîc Christus comparat cadentem de Cælo Dæmonem, insinua-re videtur: quòd Discipulorum animabus, tanquam corpore longè fortioribus, gravissimum imminet damnum. Quando Jacob reversus in patriam obvium se habere fratrem Esau intellexit, numeroso milite & armis instructum, familiam suam illicò in plures divisit partes eò ordine; ut poneret in fronte servos Balam & Zelpha, agmen verò clauderet dilectissima Rachel. Erat ordo iste magnæ sollicitudinis signum: dum charissimam sui partem salvaturus, eo in loco illam subsistere iussit, quò foret tutissima à nece. O quam longè diverso incedimus ordine nos Christiani contra tartareum Esau, qui*

Uuu

primò

primò omnium locò ei objicimus dominantem animam, ut ancillare corpus servetur illæsum. Amentia fanè sanguineis deflenda lacrymâs! *Ab! nihil durius exclamat Salvanus lib. 3. ad Ecclef. vobis dici potest. Nihil tam serum, nihil tam impium! à quibus impetrari non potest, ut vos ipsos ametis. Quis furor est, viles à vobis haberi animas, quas etiam Diabolus putat esse pretiosas? si in damnationem incideritis, quis tantæ potestatis & clementiæ erit, ut inde vos eripiat? Absolom durò exiliò mutatus Joabum invenit, qui ei reditum impetravit 2. Reg. 14. Joseph carceri mancipatus, per ministrum Pharaonis libertatem obtinuit, Genes. 41. Repererunt alii alios Salvatores: sed qui descendit ad Inferos, non revertetur ultrà in domum suam testante Job. c. 7. etiamsi mille amici venerint, ut liberent ejus perditam animam, desudabunt incassò labore instar amicorum Job, nil opis afflicto ferre valentium. Quare omnia si perdas cum Jobo, animam cum illo servare memento: hâc semel amissâ postea nullus eris.*

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 42. quod aliquid historicum continet, & in quo describitur Jobi restitutio in priorem, imò ditiozem statum, dum omnia duplicia recepit.

N. 395. *Considera:* **Q**Uòd cum Job superatis omnibùs ærumnis pristino jam esset redditus statui, venerint ad eum Scripturâ teste v. 11. capitis cit. omnes fratres sui, & universa sorores sue, & cuncti, qui eum noverant priùs: ut comederent cum eo panem, & consolati sunt eum. Quid autem tunc temporis opus habuerat consolatione Job, quando tota jam desierat plaga? nonne applausu magis, quàm solamine occurrendum est viro, ad summum felicitatis apicem iterum evecto, in quo imposterùm ducere valeat dies nonnisi aureos, nullis tribulationum nubibùs obfusandos? verùm si solidam Jobi Sanctitatem exactiùs contemplamur, fateri cogimur: nos dubiæ rei causam non dubiam invenisse; constat enim viri Sancti Crucem maximam esse, sine cruce vivere. Hinc Job videbatur eo magis consolatione egens, quò magis abundaverat felicitate terrenâ, quam noverat maximum esse obstaculum illis, qui nil nisi felicitatem quærunt perennem. *Sancti viri, ait M. Greg. Moral. lib. 5. c. 1. Cum sibi suppetere prospera hujus*

hujus Mundi conspiciunt, pavidâ suspicione turbantur. Timent enim, ne hîc laborum suorum fructus recipiant: timent, ne quod divina Justitia latens in eis vulnus aspi-
 ciat, & exterioribus eos muneribus cumulans ab intimis repellat. Abraham insigni
 Victoriâ contra quatuor Reges obtentâ, videbatur magnum prosperita-
 tis terrenæ ascendisse gradum, fortunam ad eum sibi faventem expertus:
 sed hoc ipsum plus timoris, quàm gaudii viro justissimo attulit. Me-
 tuebat enim teste Lyranô: ne per illam accepisset mercedem Justitiæ
 à Domino, non recepturus præmium æternum. Ne verò diutius
 torqueretur tali timore: hinc audiit se consolantem Deum, v. r. c.
 15. Genes. dicentem; *noli metuere Abraham: ego protector tuus sum, &
 merces tua magna nimis.* Fugitivus Sifara, à Jabele per humaniter exce-
 ptus, videbatur sibi, in naufragio invenisse portum, in fuga asylum,
 in periculo refugium. Cùm sitiret aquam, refectus est lacte: cùm
 quæreret requiem, lectum mollissimum sibi oblatum habuit, potuif-
 set ergò de sua meritò gaudere fortuna: sed hoc omnia casses erant,
 quibus Dæmon latenter usus, cum morti, & orco litavit. Quare
 Christiane Lector, noli terrenæ felicitati nimio appetitu inhærere, ni-
 malis, te periculo exponere perdendi æternam. Etiam juxta moni-
 tum Petri Dam. Epist. 6. *noli hujus vite felicitatem hominibus invidere: sed
 dole; imò, quia ipsi non dolent, potius ingemisce.* Qui nimirum velut bruta ani-
 malia ad macellum edendò properant, ad gladium lasciviendò festinant. Et si
 hucusque inter adversa murmurâsti, dic cum Jobo facti pœnitens v.
 6. capitis cit. *insipienter locutus sum, idcirco ago pœnitentiam in favilla &
 cilicio.*

Mirandum est porrò: quòd quilibet amicorum, qui venerant
 eum consolaturi, obtulerint *inaurem unam & ovem.* Quæ enim inter
 hæc duo munera datur proportio? Mystrium hoc ingeniosò & do-
 ctrinali calamo explicans S. Greg. lib. 15. Moral. c. 10. ait: *cùm ove
 inauris offertur: quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obedientia
 jungitur testante Dominò, qui ait: oves vocem meam audiunt &c.* Beato igitur
 Job nemo *inaurem sine ove, nemo ovem sine inaura obtulit, qui Redemptori suo
 non obedit, qui innocens non est.* Et quis innocens esse potest, qui obedire con-
 temnit? Te quoque Christiane Lector ovem Christi proba, aurem præ-
 bendò ejus monitis, quibus te cum innumeris hortatur per Joannem
 Apostolum dicentem: *nolite diligere mundum, quarendò prospera, aut
 inordinate de obtentis gaudendò.* Id facturus audies aliquando pro-
 missam ovibus Christi sententiam: *venite benedicti &c.*

Uuu2.

FASCL.